Die digitale Landesbibliothek Oberösterreich

oö landes bibliothek

Terms and Conditions

The Library provides access to digitized documents strictly for noncommercial educational, research and private purposes and makes no warranty with regard to their use for other purposes. Some of our collections are protected by copyright. Publication and/or broadcast in any form (including electronic) requires prior written permission from the Library.

Each copy of any part of this document must contain there Terms and Conditions. With the usage of the library's online system to access or download a digitized document you accept there Terms and Conditions.

Reproductions of material on the web site may not be made for or donated to other repositories, nor may be further reproduced without written permission from the Library

For reproduction requests and permissions, please contact us. If citing materials, please give proper attribution of the source.

Imprint:
Director: Mag. Renate Plöchl
Deputy director: Mag. Julian Sagmeister
Owner of medium: Oberösterreichische Landesbibliothek
Publisher: Oberösterreichische Landesbibliothek, 4021 Linz, Schillerplatz 2

Contact:
Email: landesbibliothek(at)ooe.gv.at
Telephone: +43(732) 7720-53100

de ser. dni.

es aliis dimittuntur. Sufficit enim diei malitia sua. q.d. Sufficit labor quem patimur propter necessitatem: nolite superfluis laborare. Vel aliter. Aug. Non dicitur crastinus dies nisi in tempore ubi preterito succedit futurum. Ergo cum ad bonum operamur non temporalia sed eterna cogitemus. Crastinus enim dies sollicitus erit sibi ipsi, id est cum oportuerit sumas cibum et huiusmodi, scilicet cum necessitas urgere ceperit. Sufficit enim diei malitia sua, id est sufficit quod ista sumere urgebit necessitas. Quam malitiam vocat quia penalis est nobis, pertinet enim ad mortalitatem quam peccando meruimus. Huic ergo pene temporalis necessitatis noli addere aliquid gravius ut non solum eam patiaris sed etiam propter hanc explendam militeris deo. Hic autem cavendum est ne cum viderimus aliquem servum dei providere ne ista necessaria desint vel sibi vel eis quorum cura sibi commissa est iudicemus eum contra preceptum domini facere et de crastino esse sollicitum. Nam et ipse dominus cui ministrabant angeli propter exemplum loculos habere dignatus est. Et in actibus apostolorum scriptum est ea que ad victum sunt necessaria procurata esse in futurum propter imminentem famem. Non ergo hoc dominus improbat si quis humano more ista procuret, sed si quis propter ista militet deo. Hylarius. Hoc quoque totum sub dictis celestis significantia continetur. Iubemur ergo non ambigere de futuris. Satis enim est vite nostre malitia dierum quibus vivimus, id est peccata sufficiunt ut contra hec purganda omnis vite nostre meditatio labor quoque versetur. Cessante autem cura nostra ipsa futura collatura, id est dominus nobis eterne claritatis proficiet. Eo parare ponitur.

de ser. dni in monte.

Aug. Quia cum ista temporalia procurantur sine in futurum incertum est quo animo fiat cum possit simplici corde fieri et duplici, oportune hoc loco subiungit: Nolite iudicare etc. Crisostomus. Vel aliter. Hucusque exposuit continentiam ad elemosinam pertinentem, nunc autem incipit exponere continentiam ad orationem respicientem

Nolite iudicare ut non iudicemini. In quo enim iudicio iudicaveritis iudicabimini. Et in qua mensura mensi fueritis remetietur vobis.

et est doctrina hec quodammodo consequens orationi ut sit talis ordo narrationis: Dimitte nobis debita nostra et sequitur: Nolite iudicare ut non iudicemini. Crisostomus. Sed si iudicare prohibet, quare Paulus in Corintho iudicat fornicantem et Petrus Ananiam et Saphiram mendacii arguit? Sed quidam hunc locum secundum hunc sensum exponunt quasi per hoc mandatum non prohibet christianos ex benivolentia alios corripere, sed ne per iactantiam iustitie sue christiani christianos despiciant, ex solis plerumque suspitionibus odientes ceteros et condempnantes et sub specie pietatis proprium odium exequentes. Crisostomus. Unde non dixit: Ne quiescere facias peccantem, sed ne iudicemus, hoc est ne amarus sis iudex. Corripe quidem, sed non ut hostis expetens vindictam, sed ut medicus instituens medicinam. Crisostomus. Sed ut nec sic quidem christiani corripiant christianos convenit sermo qui dicit: Nolite iudicare. Sed si non sic corripiunt nunquid propter hoc consequuntur indulgentiam peccatorum quia dictum est: Non iudicabimini? Quis enim consequitur indulgentiam mali prioris quia non addidit alterum malum? Hoc autem diximus volentes ostendere quia hic sermo non est positus de proximis non iudicandis qui peccant in deum, sed qui in nos peccant. Qui enim non iudicat proximum propter peccatum in se commissum, illum non deus iudicat propter peccatum, sed dimittit ei debitum sicut ipse dimisit. Crisostomus. Vel aliter. Non simpliciter unumquemque peccantem iubet non iudicare, sed hiis qui multis malis sunt pleni et alios pro minimis iudicant hanc prohibitionem facit, sicut Paulus non simpliciter prohibet iudicare eos qui peccant, sed discipulos de magistris iudicantes redarguit, docens ut eos qui super nos sunt non iudicemus. Hylarius. Vel aliter. Iudicari de promissionibus suis vetat quia ut in iudicia hominum ex incertis rebus sumuntur, ita et hoc iudicium adversus deum ex ambiguitate